



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Hæc propositio, Deus est non est demonstrabilis à priore. cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

nitatē in ipso cernit. Vnde constat non esse verum quod dicit Argentin. ar. 3. ad secundum argumentum ex propositis secundo loco, nempe huiusmodi propositiones, cum habeant pro prædicato participium de futuro, non exigere quod subiectum existat, nisi in futuro tempore. Ratio verò est, quia huiusmodi propositiones non enunciant futuram existentiam, sed congruentiā prædicati cum subiecto, & idē verē sunt, quāvis subiectum nequaquam sit futurum, ut dictum est. Et hoc modo se res habet in illa propositione, *Deus est colendus*, quæ nō enūciat existentiam Dei, aut cultus illi habendi, sed solam congruentiam, ac debitū cultus cum ratione Deitatis: quæ congruentia per se euidenter apparet ex terminis ipsis abstrahendo ab existentia, vel eius negatione. Nam, si sit id, quo maius cogitari nequit, & quod est prima causa, & principium creature rationalis: quod nos nomine *Dei*, significare intendimus, absque alio medio termino sit euidens cultum ipsi, adorationemque debere.

Hæc propositio, *Deus est*, non est demonstrabilis à priori.

CAPVT IV.

I. **Q**uia non repugnat enunciationem esse per se notam secundum se, quin sit per se nota nobis, & talem esse hanc propositionem *Deus est*, ostendi capite superiore, nunc videndū sitnē demonstrabilis à priori, saltem quoad nos. Non desunt recentiores, qui affirmant esse demonstrabilem à priori etiam respectu viatorum, si non per se primo, saltem posita cognitione Dei, acquiritur per discursum; quoniam, inquit, postquam ex creaturis cōuincitur Deum esse ens necessarium, & à se, & vnum, necessariō concluditur à priori hunc esse Deum; si verò obijcias ex eo sequi ex quidditate Dei cognita, demonstrari Deum esse, siquidem quidditas Dei est, ut sit ens necessarium, & à se: qui modus demonstrationis repugnat, quoniam prior est quæstio an est, quam quid est, respōdet formaliter, ac propriè loquendo non demonstrari esse Dei per ipsam quidditatem ut sic: sed ex quodam attributo (quod re ipsa est essentia Dei, à nobis autem concipitur abstractius ut modus entis nō causati) colligi aliud attributum, & ita concludi illud ens esse Deum, ad quod supponitur probatū dari ens quoddam per se necessarium, itaq; de hoc ente primum probatur esse, deinde esse ab intrinseco necessarium, hinc esse vnicum in

tali ratione, ac modo essendi, & consequenter esse Deum. Alio modo eandem conclusionem tuetur Scotus in 1. dist. 2. qu. 2. §. *Ex his ad questionem*, cum Scotistis interpretibus ibidem, Ockamus in 1. dist. 3. quæst. 4. lit. F. Gabriel. q. 4. conclusionē 3. Rubionius dist. 2. q. 1. art. 2. conclusionē 4. Nam, quamuis existiment de lege ordinaria non haberi à nobis demonstrationem propter quid huius propositionis, *Deus est*, censent tamen fieri posse ut demonstretur, si Deus infunderet alicui notitiam euidentem eorundem terminorum, vel saltem termini Dei, quæ posset inseruire loco diffinitionis: nam, quemadmodum, quamuis secundum rem idē omninō sit diffinitū, ac diffinitio, potest tamen constari demonstratio, in qua per diffinitionem, tanquam per medium terminum, ostendatur passio de diffinito: ita quoque cognitio clara Dei menti nostræ diuinitus insula subire potest rationem mediij termini ad demonstrandam existentiam de Deo.

Ne verò laboremus in æquiūoco, præmitto duas distinctiones, alteram circa demonstrationem propter quid, alteram circa terminum, *Deus*: Nam demonstratio propter quid aut est materialis, aut formalis: materiale voco eam, quæ re ipsa continet causam, siue rationem conclusionis à priori, quomodo demonstratio, qua tertia passio demonstraretur de subiecto per secundam non resolutam ad primam, & ad diffinitionē subiecti, contineret causam à priori, cur passio conueniret subiecto, non tamen esset demonstratio propter quid formalis, quia non constaret primis, & immediatis, quamdiu non resolveretur ad naturam subiecti: imò verò, et si per ipsam primam causam non ex terminis, sed demonstratione à posteriore cognitā demonstraretur prima passio, adhuc non erit demonstratio propter quid formalis, sed materialis: quia medium est quidē causa passionis, verum non cognoscitur, ut causa prima, & immediata illius: formalis demonstratio propter quid est, quādo non solū cōstat suapte natura primis, & immediatis, priorib; causisq; conclusionis, sed etiam præmissa euidenter ex terminis, vel resolutæ ad primas causas agnoscuntur. Ad verā enim demonstrationem propter quid formale duo requiruntur ex parte principiorum, quæ Aristotel. 1. Poster. cap. 2. expressit: alterum in ordine ad cōclusionem, alterum in ordine ad alia principia: in ordine ad cōclusionem requiritur in medio ratio prioritatis, & causæ, & ut sit notior conclusionē, quod indicatur verbis illis; *prioribus notioribus, causisq;*

Scot.
Ockam.
Gabriel
Rubion.

II.

Aristot.

conclusionis: in ordine verò ad alia principia adesse debet negatio causalitatis, siue principij à priori, non solum materialis, sed etiam secundum notitiam demonstrantis: ita ut sciens debeat euidenter assentiri principiis, tanquam primis, & immediatis, vel in prima, & immediata resolutis, ut explicauit idem Aristot. lib. 1. Topic. cap. 1. cum dixit demonstrationem consistere primis, & veris, vel ex his, quae per prima, & vera sua cognitionis initium sumpserunt. Ex qua distinctione perspicuum sit dari posse demonstrationem materiale, quae non sit talis formaliter: nimirum si quis praemissis demonstrationis materialis praestet solummodò assensum probabilem. Arist. autem cum demonstrationem diffinit, de formali propriè loquitur, hæc enim est proprius syllogismus faciens scire, & eodem modo loquuntur ceteri Auctores, cum agunt de demonstratione, propter quid. Distinctio circa terminum, Deus, est huiusmodi, terminus, Deus, aut accipitur pro ipsa essentia diuina in concreto, ad quam designanda usurpatur ab hominibus, vel pro aliqua perfectione attributali in ordine ad creaturas, sub qua iuncta enti in comuni concipimus Deum iuxta sententiã communiorum assentientium non habere viatores conceptum proprium Dei absolutum. His distinctionibus positis respondendum est ad quaestionem eas inuicem comparando, & copulando vtrumque membrum vnius cum utroque alterius.

III.

Dico primum, propositio, *Deus est*, sub neutra acceptione ex praedictis est viatoribus de lege formaliter demonstrabilis à priori. Hæc est Alberti in summa, tractatu 3. quaest. 17. Henrici in summa art. 22. q. 4. Richard. in 1. dist. 3. ar. 1. quaest. 3. Scoti in 1. dist. 2. q. 2. §. *Ex his ad quaestionem*, & quodlibeto 7. §. *tertia conclusio*. Lyran. in id Sapiet. 13. neg. operibus attendentes. &c. Gaspa. Casalij lib. 1. de quadripartita iustitia ca. 16. conclus. 2. & est de mente Doctorum, quos referam cap. sequent. num. 7. qui omnes non agnoscunt demonstrationem Dei nisi ex creaturis, & aperte sumit ex doctrina Dionysij ca. 7. de diuinis nominibus, ubi sic ait: forte veraciter dicemus nos Deum non ex ipsius natura cognoscere, id nempe ignotum est, omnemque superat rationem, ac sensum, sed ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione, ut ab ipso produca, notitia verò sumpta ex creaturis non potest esse à priori, ut patet. Fundamentum est: quoniam, ut propositio sit alicui demonstrabilis formaliter, opus est, ut is principia cognoscat euidenter, & ex terminis: at de lege nullus viator potest agnoscere ex terminis principia huius propositionis, *Deus est*: quare nequit eam formaliter demonstrare.

Assumptio ostenditur, quoniam propositio illa, si quomodo est materialiter demonstrabilis, non per causas, aut rationes externas, sed solum per internas demonstrari potest: omne autem principium constans causa, siue ratione interna subiecti, de quo passio demonstratur, reduci tandem debet ad ipsius diffinitionem: & ita respectu propositionis, *Deus est*, nihil aliud quoad nos habere potest rationem mediã à priori, ad demonstrationem formalem, quam ipsa natura diuina diffinitiuè quodamodò cognita: quemadmodum ad demonstrandum aliquid per causas intrinsecas de homine confusè cognito non est aliud medium quam diffinitio hominis: de lege verò non habetur cognitio Dei villo modo diffinitiuè, ut infra constabit: ergo neque demonstrare formaliter potest à priori Deum esse: ex eodem principio constat non posse viatorem demonstrationem formali à priori ostendere Deum esse assumendo per medio ipsum necesse esse, licet hoc suapte natura esset medium à priori: quoniam, ut patet ex initio capitis, non sat est prioritas in ipsis obiectis: sed requiritur ut principia cognoscantur ex terminis, vel sumantur resoluta ad alia cognita ex terminis: at in discursu illo initio capitis proposito principia non possunt sumi nota ex terminis, nec resoluta ad aliqua nota ex terminis: nam dicitur postquam à posteriore probatum est dari aliquod ens necessarium, ex hoc deinde colligi esse Deum: quare ego, aut post eam demonstrationem a posteriore, cognoscitur ex terminis hæc propositio, *datur ens necessarium*, aut non? si non, totus discursus resoluitur in principium non primum, & immediatè simpliciter, sed solum primum à posteriore, & ita non est demonstratio formalis propter quid: non ostenditur autem quomodo cognoscatur ex terminis: nam qui dubitat esse Deum, etiã dubitat an sit ens aliquod simpliciter necessarium. Præterea etsi cognoscatur ex terminis, adhuc ulterius requiritur ut cognoscatur ex terminis altera præmissa nempe, *Deus est ens simpliciter necessarium*, quæ in hac vita non ita cognoscitur: & ita ex ratione necessitatis haberi nequit à viatoribus demonstratio formalis propter quid à priori. Et hac propositione, *Deus est*, idè probatur de eadè propositione, in posteriore acceptione: quoniam ad rationem demonstrationis formalis propter quid requiritur, ut præcedat ex primis, & immediatis cognitis assensu primorum principiorum: at de lege nulla à nobis potest fieri demonstratio concludens esse Deum sub aliqua ratione attributali, quæ resoluat euidenter in prima principia cognita ex terminis: ergo non possumus habere de lege de-

Albert.
Henricus.
Richard.
Scotus.

Lyran.
Casalius.

Mag. Dionys.

ge de-

ge demonstrationem formalem à priori, quod sit Deus. Assumptio, in qua est difficultas, explicatur, & ostenditur: accipiamus hanc propositionem *Deus est*, sub ratione dominij ad creaturas, ita ut sensus eius sit: Deus est Dominus, & creator vniuersi; Propositio in hoc sensu non potest demonstrari à priori per creaturas, ut patet: ergo per aliquam perfectionem diuinam ratione priorem. Vel ergo per essentiam, vel per attributum aliud: non per essentiam, quoniam huius cognitionem distinctam non habemus: non per attributum, quoniam huiusmodi attributum in ratione medij termini debet coniungi euidenter cum utroque extremo, hoc est cum Deo, & cum existentia: id verò fieri non potest: nam vel eiusmodi connexio erit nobis evidens ex terminis, vel demonstratione à priori: non ex terminis: quoniam, cum quoduis attributum habeat rationem à priori, non potest cōnecti euidenter ex terminis cum Deo, aut cum eius esse: nō demonstratione, quoniam similiter rogabo de cōiunctione medij termini eius cum extremis: & ita vel progrediemur in infinitum, vel deueniendum est ad aliquod principium notum ex terminis: hoc autem probatum est non posse fieri, siquidem ut fiat deueniendum est ad cognitionem euidentem primi attributi cum essentia diuina: cuius propria, ac distincta notitia per modum diffinitionis caret viatores, & ideo non possunt ex terminis assentiri propositioni enuncianti primum attributum de ipsa, vel existentiam de primo attributo.

IV.

Si verò loquamur de viatoribus supra communem legem, vel de beatis, secundum eandem est dissensio penes Authores. Nam Scotus, Ockhamus, & Gabriel citati existimant hanc propositionem demonstrabilem esse à beatis sumptam pro medio termino, quasi loco diffinitionis, visione ipsa beata. Quæ sententia non placet, quoniam visio beata, ut fufius ostendam lib. 3. tractatu de natura visionis beate, ut potè iudicativa simul, & apprehensiva, nō est apta ut veniat in compositionem mentalem cum alijs terminis simplicibus: & ita inferuire nequit demonstrationi tanquā medius terminus, si verò beati ex visione beatifica eliciant notitiam aliquam Dei purè apprehensiuā, distinctam tamen, est eadem difficultas cum ea, quæ datur facta hypothefi, quod Deus communicet homini viatori notitiam euidentem sui abstractiuam, & ideo idem in utraque dicendum. Porro vtrum viator supra communem legem habere possit demonstrationem à priori huius propo-

tionis *Deus est*, pendet ex duobus capitibus: alterum est, an dari possit cognitio abstractiua Dei clara, & distincta, alterum, vtrum, si detur, ex ea possit fieri propria demonstratione. De priore, quia non est huius loci, alibi agendum, nunc disputandi gratia fieri posse supponatur, ut secundum expendatur.

V.

Dico secundum. Facta hypothefi, quod Deus communicet viatori euidentem notitiam sui, potest demonstrari à priori hæc propositio *Deus est*, si nomen *Deus*, sumatur ex aliquo attributo, non verò, si sumatur præcisè ex ipsa natura, & essentia Dei. Secunda pars est contra Ockhamum ubi supra, & traditur expressè à Soncin. 12. Met. quæst. 28. conclusionem 2. Suadetur, quoniam propositio nō potest esse demonstrabilis formaliter, nisi sit etiam materialiter: at si nomen, *Deus*, significet ipsam naturam diuinam, propositio, *Deus est*, non est demonstrabilis materialiter, ut infra dicam: ergo nec erit demonstrabilis formaliter: Obijcies, per diffinitionem subiecti demonstrari de ipso primam passionem demonstratione formali: nec tamen esse demonstrabilem materialiter: quare eodem quoque modo, licet ipsum esse non sit demonstrabile materialiter de Deo, pro ut dicitur ab essentia diuina, erit tamen demonstrabile formaliter per notitiam euidentem ipsius deitatis, quasi per diffinitionem: Respondeo, negando assumptionem: nam propositio demonstrabilis materialiter nō dicitur ea solum, quæ habet medium ex natura Dei distinctū, sed omnis, quæ demonstrari potest per medium prius, ac notius non synonymum, quale est diffinitio subiecti: hæc enim cōiuncta passioni cōstituit propositionem diuersam ab ea, quæ eadem passio prædicatur de subiecto cōfusè accepto. At notitia distincta Dei, quauis habeat se instar diffinitionis, tamen nō continet rationem priorem, cur Deo conueniat ipsum esse: & ideo non potest esse medius terminus, ut hoc de Deo demonstratur. Ratio est quoniam esse actuale Dei est per se prima ratio eiusdem cum eo reccurrens: & ita continetur in ipsa eius notitia quasi diffinitiuā: rationes verò huiusmodi non sunt demonstrabiles per diffinitionem: sicut videmus in rationali, quod immediatè conuenit homini, nec potest de ipso demonstrari per diffinitionem metaphysicam, cuius est pars formalis per se primo conueniens homini. Prior verò pars assertionis est Scoti, & interpretum ubi supra: qui concedunt per notitiam Dei quidditatiuam posse demonstrari à priori hanc propositionem, *Deus est*, prout à nobis concipitur: existimant

Soncin.

Scot.

autem

aurem non concipi à nobis ipsam essentiam diuinam, sed aliquod attributum, p quod conceptus determinetur ad Deum significandum, vt ens necessarium, ens infinitum &c. ostenditur autem, quoniam nostro modo intelligendi ipsum esse per se primo conuenit essentiae diuinæ, & ratione eius, perfectionibus attributibus: ac proinde essentia diuina potest esse terminus idoneus ad demonstrandum à priori ipsum esse de quouis attributo: & consequenter de Deo, pro vt ab ipso nominatur: positavero cognitione distincta deitatis datur sufficiens penetratio medij termini, ita vt principia, quæ illo constant, sint notiora conclusionem: ergo erit vera demonstratio formalis. Obijcies non posse fieri eiusmodi demonstrationem, quoniam subiectum erit omnino idem terminus cum medio: nam cognitioni illi distinctæ respōdebit idemmet conceptus obiectiuus, qui respondet huic termino, *Deus*, & eius conceptui formali confuso. Hæc obiecto non procedit directè contra propositam assertionem: nam terminus ille habitus per cognitionem abstractiuam distinctam non solum differret à termino, *Deus*, quatenus sumitur ex aliquo attributo secundum cognitionem confusam, ac distinctam, sed etiam obiectiuè secundum virtualem distinctionem, qua essentia distinguitur ab attributis: quæ distinctio fat est ad terminos demonstrationis. Quin verò, si aliud non obstat ex vi huius argumenti, minime concluditur non posse demonstrari hanc propositionem, *Deus est*, pro vt sumitur à natura diuina: nam demonstratio, qua per diffinitionem aliquid ostenditur de diffinito, habet terminos sufficienter distinctos ad veram rationem demonstrationis formalis: & tamen conceptui diffinitionis ac diffiniti respondet in re idem conceptus obiectiuus materialiter, vt rectè ostendit Caietan. in cap. 3. lib. 1. Post. eodem modo, quamuis à parte rei, subiecto ac medio termino respondeat idem conceptus obiectiuus materialiter, si tamen sit distinctus formaliter sub respectu ad conceptus formales non synonymos diuersos penes modum cognoscendi confusum, ac distinctum, siue per modum diffiniti ac diffinitionis, adhuc haberi potest ratio demonstrationis formalis: & hoc modo se res haberet, si communicaretur à Deo viatori cognitio distincta essentiae diuinæ, hæc enim instar diffinitionis sub re posset rationem medij termini ad demonstrandum ipsum esse de Deo confusè cognito, nisi obstat ratio assignata.

Caietan.

Dico tertium. Si nomen, *Deus*, sumatur, pro vt designat ipsam naturam Dei, & non pro ratione aliqua attributali, propositio hæc, *Deus est*, non est quo ad nos materialiter demonstrabilis à priori, assertio hæc est expressa Henric. in sum. artic. 22. quæstion. 4. & 5. Richard. in 1. distinct. 3. artic. 1. quæstion. 3. Michaelis de Palatio disput. 1. estque de mente doctorum, quos referam cap. sequenti, non solum eorum, qui negant hanc propositionem posse demonstrari, sed etiam eorum, qui affirmant: non enim agnoscunt aliam demonstrationem, nisi ex creatis, & à posteriore, ostenditur autem, quoniam, vt propositio sit materialiter demonstrabilis à priori, necesse est, vt prædicatum, ac subiectum non copulentur immediate seipsis, sed interuentu alterius medij termini, saltem virtute distincti: at *Deus*, quatenus est concretum constitutum formaliter per naturam diuinam, coniungitur immediate cum ipso esse absque interuentu alterius medij termini: ergo hæc propositio, *Deus est*, materialiter est indemonstrabilis. Veritas maioris & consecutionis est euident. Assumptionem ostendo: quoniam, vt superiore capite ceptum est dici, non potest esse medius terminus extra Deum, vt patet: nec intrinsecus, quoniam vel est attributalis, vel pertinet ad essentiam, pro vt nostro modo intelligendi concipitur forma substantialis Dei prior attributis, & ab his virtualiter distincta: attributalis non sufficit, quoniam attributa omnia nostro modo intelligendi sunt posteriora ipso esse Dei: atque adeo non possunt esse ratio à priori, cur id Deo conueniat. Si pertinet ad essentiam, vel est ratio adæquata, & completa essentiae diuinæ, quatenus essentia est, vel inadæquata, & quasi remota, & communis alijs: si priore modo, ea est, quam designare volumus nomine Dei secundum acceptionem, de qua modo sermo est: ideoque si ratione ipsius assensus præbeatur huic propositioni, *Deus est*, eiusmodi assensus iam non procedit ex medio termino extrinsecus, sed ex propria ratione formalis termini proprii ipsius propositionis: & consequenter est assensus euident ex terminis, non verò demonstratione genitus: qua ratione, qui vident Deum, habent euident iudicium de ipsius existentia: quare, si ratio assentiendi est diuinitus, pro vt est proxima, ac reciproca forma Dei, propositio illa non est materialiter demonstrabilis à priori: si verò quis dicat esse posteriore modo, multò minus erit medium propter quid: nam per rationem remotam,

VI.

Henricus.
Richard.

Palatius.

motam, & communem nullo modo demonstrari potest ratio particularis: Verbi gratia per rationem substantiæ, vel animalis non potest ostendi de homine à priori quod sit discursiuus, aut risibilis: at *esse*, est prædicatum soli Deo proprium, ac necessarium: ergo nequit de ipso demonstrari per rationem communem: nam si posset, etiam demonstraretur de alijs, quibus illa ratio communis est: de nulla verò creatura potest absolute demonstrari à priori quod sit: ergo neque de Deo per rationem ipsi cum creaturis communem. Et confirmatur, quoniam in essentia diuina, quatenus concipitur vt forma substantialis Dei, non cognoscuntur aliæ rationes essentialis intrinsecæ distinctæ ab attributibus, quam ratio entis, substantiæ, vitæ, intellectualitatis, inter has autem omnes prior est ratio entis cuius actus est *esse*: atque adeò, quamuis in Deo hæc omnia sint vna, eademque simplex essentia, tamen nostro intelligendi modo prior est ratio entis, quam reliquorum: & idè *esse*, quod est actus entis, conueniet prius, quam *esse* substantiale, viuens, intelligens, neque per hæc demonstrari poterit à priori.

VII. Obijciat aliquis superiora prædicata demonstrari posse per inferiora: exempli causa demonstrari potest de homine quod sit viuens, quia animal est: quoniam rationalitas, quæ est proxima, & vltima forma essentialis hominis, non immediate per se ipsam coniungitur viuenti, sed interuentu animalis, quod est inter viuens, & differentiam hominis essentialem: atqui ex concessis in Deo prius nostro modo intelligendi est ratio entis, deinde substantiæ, deinde viuentis, vltimo intellectualitatis: ergo ex eo, quod sit intellectualis demonstrabitur esse viuentem: ex eo, quod sit viuens, demonstrabitur esse substantiam: ex eo verò, quod sit substantia, demonstrabitur esse ens, atque adeò existere, quoniam *esse* est actus entis: Respondeo, cum Deus dicitur intelligens, aut viuens, dupliciter accipi posse: nimirum aut secundum essentiam abstrahendo ab existentia, aut secundum esse actuale vitæ, & intellectualitatis: & si priore modo sumatur, totum illo discursu non probatur Deum esse, sed solum esse possibilem: nam ratio entis secundum essentiam cum abstractione ab existentia non necessario habet annexum actum essendi: & propterea, cum ex eo, quod Deus sit ens, infertur esse actum, tantum abest, vt sit demonstratio à priori, vt potius sit inepta conclusio: si verò accipiat posterior modo, fieri nequit, vt sit per se notum Deū

esse actu viuum, aut intelligentem, quin sit etiam simul euidentis ipsum esse: nam esse actu viuum, aut intelligentem, est quoddam esse: atque adeò, cum non sit prius, ac notius rem esse viuam, quam esse actum, nequaquam demonstrari potest esse actuale per vitam, aut intelligentiam actualem.

In particulari verò probandum coniunctum illud *ens necessarium* non esse medium terminum, quo propositio, *Deus est*, à priori sit materialiter demonstrabilis. Quoniam terminus *necessarium*, aut significat proprium, ac reciprocum modum entitatis essentialis, quo Deus à creatura primo distinguitur, aut perfectionem attributalem nostro modo intelligendi consequentem ad eiusmodi primariam rationem: si primum non distinguitur secundum se à forma, quam designamus, nomine *Deus*, nec est prior illa: quare non potest esse medium à priori, quo demonstretur esse de Deo. Patet consequentia, quoniam propositio materialiter demonstrabilis à priori, necessario exigit medium terminum modo aliquo distinctum ab utroque extremo: sed terminus *necessarium*, priore modo sumptus significat ipsammet formam, & rationem proximam, qua Deus est Deus: ergo non est secundum se terminus distinctus sufficienter, vt ratione eius propositio *Deus est*, dici queat materialiter demonstrabilis à priori: si verò sumatur posteriore modo, non habet prioritatem requisitam ad rationem medij termini à priori: quoniam ratio omnis attributalis est posterior Deitate, quatenus concipitur vt forma substantialis Dei, & ipso esse diuino, quod est fundamentum omnium reliquarum perfectionum. Deinde si considerentur hæc duæ rationes: nempe ipsum esse per essentiam, siue ratio actus puri, & necessitas in essendo, prior est nostro modo intelligendi ratio actus puri, siue ipsum esse actuale per essentiam, quam necessitas: non habent autem hæc rationem prioritatis tanquam formæ subordinatæ, quasi vna sit magis communis, quàm altera; nam utraque soli Deo conuenit: ergo secundum rationem radicationis vnius in altera, quæ in suo esse, & conceptu est prior ea, cuius est radix & fundamentum: atque adeò ratio ipsius esse, siue actus puri, non est materialiter demonstrabilis à priori per rationem necessitatis. Maiorem ostendo: quoniam ex duobus, quorum alterum diffinitur per alterum, & non è contra, illud est prius, quod ingreditur alteri

descri-

VIII.

descriptionem, & ipsum sine eo intelligi, ac describi potest: atqui ipsum esse, siue actus purus describi potest absque ratione necessitatis per rationes ipsius esse actualis liberi ab omnipotentialitate: ex hac autem descriptione rectè sequitur à priori actum purum esse ens necessarium, non tamen in illa continetur formaliter ratio necessarij: nam immunitas à potentialitate non est formaliter necessitas, sed pura actualitas essendi: At verò necessitas describi, vel intelligi haud quaquam potest absque ratione ipsius esse: nam necessarium est, quod non potest non esse: quare ipsum esse prius est ratione necessitatis.

IX.

Dico tertium. Si nomen *Deus* sumatur ex aliqua perfectione attributali relativa ad creaturas, hæc propositio *Deus est*, dici potest materialiter demonstrabilis à priori: non tamen absolute ex ratione necessitatis. Prior pars ostenditur, quoniam, ut ostendam sequent. lib. tract. 2. attributa nostro modo intelligendi fundantur, ac radicantur in essentia, & habent inter se ordinem, ac virtutalem distinctionem: hæc autem sufficiunt ad demonstrationem propter quid: quare si nomen *Deus* sumatur ab aliquo attributo. Verbi gratia, omnipotentia, providentia, aut quouis alio, hæc propositio, *Deus est*, in eo sensu erit materialiter demonstrabilis à priori. Patet consequentia: quoniam antequoduis attributum intelligitur essentia tanquam radix, & ratio cuiuslibet: ergo, si sumatur ipsa tanquam medius terminus, per eam ostendi potest ipsum esse de Deo sic accepto: idemque dicendum, si loco medij termini sumatur attributum aliud nostro concipiendi modo prius eo, à quo *Deus* nominatur: dabitur enim eadem ratio prioritatis, ac distinctionis virtualis sufficiens ad rationem demonstrationis à priori. Posterior pars probatur, quoniam ratio necessitatis potius est modus omnium perfectionum diuinarum, quam attributum per se particulare, nec ab ea sumitur à priori ratio omnipotentia, dominij, creatoris, aut similibus attributorum, quæ intelliguntur per ordinem ad creaturas.

X.

Ex his constat firmum non esse fundamentum sententiæ asserentis demonstrari Deum esse à priori per rationem necessitatis, quoniam non est radix attributorum habentium ordinem ad creaturas: & quamvis esset, cum ipsa non cognoscatur à nobis à priori, vel ex terminis euidenter coniuncta cum Deo sub ratione illa attri-

butali, fieri nequit, ut eadem demonstratio sit formalis à priori. Quod clarius apparet ex discursu, quo id probari dicunt oppositæ sententiæ assertores: nam supponitur, inquit, probatum dari ens quoddam per se necessarium. Id verò probatum est à posteriore ex creaturis, ergo primum initium illius demonstrationis sumitur ex cognitione creaturarum: atque adeò cognitio ultimo acquisita resoluitur in principia cognita à posteriore: & idcirco demonstratio non constat formaliter ex primis. Deinde verò id, quod addunt, non video quomodo constet: aiunt enim primum, quod de eiusmodi ente probatur, est esse, deinde esse ab intrinseco necessariū. Quod nam peto est ens, de quo primum probatur esse, ipse est *Deus*, an verò ens necessarium? Si *Deus*, totus discursus sequens erit superfluous, quoniam procedit ad probandum id, quod supponitur probatum: si ens necessarium, aut sumitur secundum absolutam, & omnimodam necessitatem, & tunc hoc ipso supponitur esse necessarium ab intrinseco: nam prius ratione est esse necessarium ab intrinseco, quam esse simpliciter necessarium: sicut enim creaturæ idcirco non sunt simpliciter necessariae quoad esse, quia pendunt à suppositione extrinseca, ita *Deus* idcirco est ens omnimodò necessarium, quia necessitatem habet à se, & non aliunde. Si verò sumitur secundum necessitatem in communi abstrahendo ab hoc, vel illo modo necessitatis, non ex inde colligitur necessitas ab intrinseco: nam ex ratione communi, & indeterminata, non colligitur ratio particularis, ac determinata. Et ita patet ex illo principio, *ens necessarium est*, nullo modo demonstrari posse à priori hanc propositionem, *Deus est*, neque rationem eius sententiæ habere vim. Quod attinet ad sententiam, & argumentum Scoti, ex dictis etiam constat, quatenus admitti debeant, nihil enim amplius ex eo colligitur, quam id, quod in explicatione secundæ assertionis dictum est.

Deum esse, est demonstrabile à posteriore viatoribus, etiam secundum legem ordinariam.

CAPVT V.

NON defuerunt ex antiquis, qui negarent posse villo modo etiam à posteriore demonstrari Deum esse: nam id sola fide credendum existimabant. Quæ opinio scribitur à Diuo Thoma quæst. 10. de veritate